Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cum spiritu sancto in maiestate sua et adorauerunt deum dicentes amen. Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio et honor et virtus et fortitudo deo nostro in secula seculorum amen.

Gradualis. Videns illius turbas. Exultatio mea. Lectio libri Sapientiae.

Mulierem fortem quis inueniet? procul et de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vite sue. Quesiuit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum. De nocte surrexit et dedit predam domesticis suis et cibaria ancillis suis. Considerauit agrum et emit eum de fructu manuum suarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos et roborauit brachium suum. Gustauit et vidit quia bona est negociatio eius. Non extinguetur in nocte lucerna illius. Manum suam misit ad fortia et digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui sue a frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi. Byssus et purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius quando sedet cum senatoribus terre. Sindonem fecit et vendidit et cingulum tradidit chananeo. Fortitudo et decor indumentum eius et ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapiencie et lex clemencie in lingua eius. Considerauit semitas domus sue et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii eius et beatissimam predicauerunt. vir eius et laudauit eam. Multe filie congregauerunt diuitias tu supergressa es universas